Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2539
Quelle:
Copyright:

leat fecunditate iustitiæ. sine peccatorum remissione non agitur &c. Atque ita, postquam Autor multis de necessitate ac ratione Poenitentiae tractasset, concludit: *Librum autem quem de corpore canonum excerpsimus. cuique hoc opus quasi prefationem preponimus in tribus libellis diuidi placuit. quo facilius lector quod querit inueniat. Et primus quidem libellus continet ea que sunt de penitentia. et penitentibus. criminibus atque iudiciis. Secundus maxime de accusatis et accusatoribus iudicibus ac testibus. cum ceteris ad hæc pertinentibus ecclesiasticis regulis. Tertius de sacris ordinibus ut qui promouendi sunt ad clerum quiue remouendi a clero et de regulis ac priuilegiis omnium clericorum et presulum.* Post haec: *Incipiunt Capitula.* Atque hujus Elenchi Folia aliquot a *Cap.* videlicet XXI. Lib. I. usque ad *Cap.* XXXVIII. *Lib.* III. e Codice excidere. *Libri* I. Inscriptio quadrata est: *Incipit Liber Primus Quod Nulli Sit Vltima Paenitentia Deneganda Ex Epistola Pape Celestini Ad Episcopos Galliarum.* Initium Cap. *Agnouimus enim penitentiam morientibus denegari* &c. *Libri* II. Inscriptio: *Incipit Liber Secundus De Coniuratione Uel Conspiratione. Ex Concilio Calcedonensi.* Initium Cap. *Coniurationis uel conspirationis crimen ab exteris legibus* &c. Inscriptio *Libri* III. *Incipit Liber III. Presbyterorum Et Diaconorum Ordinationem Certis Celebrare Temporibus. Ex Decreto Papae Gelasii.* Initium Cap. *Ordinationes etiam presbiterorum diaconorumque nisi certis temporibus* &c. Edidit *Poenitentiale* istud, seu potius Canonum Collectionem Sec. IX. antiquiorem, quaque Posteriores non parum usi sunt, *Luc. Acherius Spicil.* T. XI. edit. *Paris.* 1672. p. 1. 4. e Codd. mss. *Thuaneo* altero, altero *Baluziano*, ut ipse testatur in Praeloquio, ad quod Lectorem remitto. Probe porro Exemplar nostrum huic Editioni consentit, usque ad L. III. C. 151. nobis 152. *Ut Metropolitanis sua Iura seruentur;* abhinc enim Codex turbatus varia interserit *de Capitulis Uenationum, Prologum de duodecim Remissionibus Peccatorum, Capitula* praecipue de Vitiis, quae Capitalia dicuntur, donec tandem insumtis in haec 8. *foliis* ad *Caput* Editionis 152. *Leo Theodoro Ep. Foroiul.* &c. redeat; addit tamen in fine praetensum Synodi *Nicaenae* Canonem: *Ut non Presbyter aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum — det accusationem aliquam* &c. qui potius est inter *Caroli* M. *Capitularia* L. I. edit. *Petri de Chiniaco Paris.* 1780. n. 133. p. 728. f. ubi nota, post edit. verba: *Christum praedicantes* interponi a Nostro: *et sit habundantia litterarum capax fide catholica memoriter tenentes forte credendum uiriliter predicandum.* Quo loco legendum videtur: *sint capaces.*

II. *fol.* 104. *Incipit Ordo Ad Paenitentiam Dandum.* Initium: *Inprimis interroga eum diligenter. Credis in patrem. et filium. et spiritum*